OSTENTA PLANTARVM.

CAPVT LXXIII.

PLANTARVM ostenta iuxta naturam illarũ sunt: si exarescant, mortem, & maximè uitis, quod cum uita affinitatem habeat, sitq; hominum usui saluberrima. Sic & ficus: συκὴ enim & σύκιν & inutilis, & infirmus. Est etiã quod ad rem magis attinet, fructus suauissimus, uitæ autem similis ob hoc: & planta ipsa, ætati hominis æqualis. Adnata palma Trallis in Lydia in templo Victoriæ, ubi Cæsaris statua erat dedicata, uictoriam illi portendit, iuxta naturam arboris: nam palma ut contra nititur ponderibus, ita uictoria quò magis cruenta, eò illustrior. Sic & Augusto enata palma ante domũ suam. Laurus possessionẽ pacificam, quod ea coronari solerẽt triumphantes, ideo etiam gloriã partæ uictoriæ significat: coronantur & poëtæ, quod pulcherrima in Parnasso laurus exoriatur, ubi Apollo poëtarum patronus habitare fingebatur ob templum. Myrtea & ipsa uictoriæ indicium, quod olim ouantibus dabatur: & antè, lauream etiam triumphantibus. Et cùm bene oleat, tota arbos numinis afflatum indicat: unde Veneri dicata planta. Ciuica ex querna fronde fiebat: & obsidionalis è gramine, quæ non ab imperatore ut cæteræ, sed à toto exercitu concedebatur. Gramen eligebatur quod circa muros obsessarum urbium nasci soleat. Apio mortui, & cyparisso domus funestæ coronari solebant. Sisymbrio aut asparago, uerbenáq; coronabantur sponsæ admixtis floribus: ob hoc uel eius potius causam lætum auspicium. Erant & murales, & rostratæ seu nauales castrensesq; coronæ, sed non ex plantis discrimen. Ad rem redeo.

Plantarum præsagia quomodo ducenda.

Coronarũ differentiæ.

Ilex robur & principatum significat, ob ligni duritiem, & uitæ diuturnitatem. Ob id Octauianus Augustus, illius uetustæ confirmatione admodum lætatus est. Sic & Vespasianus restituta quercu. Cùm nascuntur, nouã rem significant: cùm restituuntur, uel deciduæ, uel arescentes, maiore prodigio sunt, ut magis contra naturam: nam in omnibus his obseruare oportet, ut quæ contingunt, omninò præter naturam existimari possint: nam si naturales euentus pro ostentis habueris, ridiculus fies & inanis. Si ergo concidat repentè quæ unica est, & absq; causa, non solùm exitium, sed fortunarum & familiæ ruinam portẽdit. In alijs uerò totus lucus aut lauretum si arescat, pro prodigio habendum: sed si fulmine percussæ pereant arbores, non est prodigij loco habendum, modò uel quicquam peculiare cum domino non habeat, uel ipse ictus fuerit prodigiosus. Id uidetur insinuare Virgilius, dicens:

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Hæc igitur ut naturalia, ut cũ ratione, ut pauca ex innumeris, nõ ut portenta dæmonũ (hæc enim inania) sunt animaduertenda. Eorumq; exemplo cætera condiscere licet.

OSTENTA QVÆ IN AGRESTIBVS ANIMALIBVS. CAP. LXXIIII.

OMNIA animalia hoc nomine, ut etiam aues atq; pisces & serpentes comprehẽdi uolo. Itaq; plura horum tametsi prodigiosa uideãtur, naturalia tamẽ omnia sunt. Sed ut à naturæ legibus, non quidẽ omnibus (nihil enim fermè tale) sed consuetis aberrant, ita mirabilia & ob id prodigiosa uidentur, Vt cornix alba, quod etiam

Cornix alba.